

coram me omni tempore pro Joab. Vide oblitum regem omnium injuriarum tametsi recentissimum; quin et beneficia pro injuriis rependentem. At quis fructus? *Et inclinavit cor omnium virorum Juda quasi viri unius, miseruntque ad regem dicentes: Revertens tu et omnes servi tui, II. Reg. XIX.* Hæc ergo clementia Davidis omnium etiam rebellium animos inflexit, ut eam accerserent regnoque restituerent. Quid quod etiam Julius Cæsar, ethnicus homo, nihil nisi injurias (teste Cicerone, orat. pro Marcello) solebat oblivisci? Suasit Dominus, Matth. X. ut essemus *simplices sicut columbæ*, atqui illæ surreptis sibi ab hero pullis, nonne mox ad eum revertuntur eique novos pullos pariunt, prioris oblita injuriæ? Bene itaque dixit Mimus Publius: *Injuriarum remedium oblivio.* Et Justinianus instit. jur. de actione injuriarum, lib. IV. ait: *Hæc actio dissimulatione aboletur.* Denique si quis oblivisci nequit injuriæ et ultionis, noverit huic morbo remedium superesse, mortem et gehennam. Experimur quod scribit Pierius, lib. XVI. hierogl. scorpions et serpentes similiaque venenata, ad nocendum ubique parata, in aquam injecta omni nocendi vi destitui quasi in grandi periculo constituta secum quod agant habeant, adeoque obliviscantur suorum adversariorum. Quisquis ergo ultionis oblivisci nequis, igneum illum tartari fluvium expecta, et nocere non solum desines, sed et oblivisceris.

V. Res ludicræ, scurriles, pueriles, absurdæ; cujusmodi sunt joci, nugæ, ludi, choreæ, cultus corporis levisculus et similia; quorum oblivionem sapientiam vocabat Eruripides, apud Stob. serm. XVIII. Quisquis ergo sapiens haberi et esse vult, stultitias illas exuere et oblivisci debet. Scimus quas ineptias animique levitates excitarit in Hebræis vitulus ille conflatis stultissimis choreis ab ipsis cultus et adoratus. Ut ergo Moyses hujus levitatis et turpitudinis memoriam e manibus Hebræorum penitus aboleret, contrivit vitulum in pulverem eumque in potu absorbendum illis dedit, sepeliens eum perpetua oblivione in illorum ventribus, Exod. XXXII. Docet igitur Moyses vitulorum et vitulantium mores, scurrilitates, levitates ita longe remove, ut nulla earum in nobis memoria supersit. Credibile est permultos ex Hebræis non vere credidisse vitulum illum esse deum suum, uti non dubium de Aarone, adeoque non nisi per jocum et externam speciem coluisse vitulum illum saltando, canendo, clamando, etc. Nihilominus tam gravem animi levitatem gravissime Deus ultus est multorum millium cæde. Ita par est credere, scurrilitates Christianorum nequaquam

fore impunes; cujus rei exempla non difficile est afferre. S. Hugo abbas Cluniacensis, qui vixit tempore S. Anselmi, monuit sæpe Daranum episcopum Tolosanum, ut a nugis et ridiculis verbis, quibus assueverat, sibi temperaret; alioquin eum post mortem tumentibus labiis et spumoso ore apparituro. Verum se non corripuit episcopus. Unde defunctus cuidam sacerdoti Signino apparuit, et ut sanctus prædixerat, ulcerosis tumida labiis ora præferbat, petit auxilium patris lacrymabiliter, quem audire noluerat. Signinus refert patri quod viderat, miseretur abbas, et excessum oris septem fratrum silentio sanare festinat, septem fratres deligit, quibus septem dierum silentium pro episcopo indixit. Unus ex iis transgreditur, silentium solvit. Redit episcopus ad Signinum, fraetum accusat silentium de transgressore conqueritur, dilatam oris sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino hæc iterum ad patrem referente, abbas inquit de transgressione. Transgressio invenitur, et alter septenarius silentio dedicatur. Quo completo, tertio præsul apparuit, gratias agens abbati, pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit. Quo circa S. Hugo magis quam ante nugas vitans, seria tractabat. Vultin aliud? « Vidi, inquit Niderus in fornicario (in conventu Coloniensi) fratrem verbis fratris jocosum, sed in gratia expellendi dæmones valde famosum. Hic cum in terminis conventus Coloniensis dæmonem in obsesso corpore arctaret, dæmon petivit a fratre locum recedendi. Quo gavisus frater ait in joco: In cloacam meam vadas. Exiit igitur dæmon; et nocte cum frater ventrem purgare vellet, dæmon tam dire eum torsit prope cloacam, ut vitam cum difficultate salvaret, » apud Delrium in disquisit. lib. VI. c. II. sect. III. q. III. Quare sapienter S. Basilus, in exhortat. ad filium spiritualem ait: *Ne in modum parvuli joculari velis assiduo, quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, joculari ut parvulus.* Solemus certe in maturatione parvulorum mores exuere, planeque oblivisci; eorum igitur non obliviscimur vanitatum ac levitatum, quæ parvulos magis quam viros decent? Non audimus dicentem apostolum I. Corinth. XIII. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli. Evacuavi, hoc est, e memoria quasi abolevi et delevi.* S. Thomas Aquinas e duobus hisce signis cognosci posse dicebat, an quis in virtute multum profecerit: *Si quem videris verbis levibus nugisque delectari, ac ægre ferre se contemni, scito hunc non esse perfectum, etiamsi mira-*

cula faciat. Taceo his nugis male teri tempus, de quo aliquando Deo ratio reddenda erit. Unde Eusebius Emissenus (vel potius Eucherius) hom. IX. ad monachos exclamat: *Quis mihi reddet hunc diem, quem in fabulis vanis perdidit?*

VI. Curæ et sollicitudines superflue, de victu, vestitu, liberis, lucris, tempestate, de bonis perditis vel parandis, quia indignæ sunt, quibus tempus teramus et nos ipsos cruciemus, ideoque a Domino Christianis prohibita, Matth. VI. Cum argemur temporis angustia, solemus oblivisci vel negligere res levioris momenti, nobis non necessarias; uti suadet Dominus, Matth. XXIV. faciendum iis qui excidium Jerosolymæ evadere vellent: *Tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes: et qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* q. d. negligite et obliviscimini omnia, quæ ad incolumitatem vestram non modo necessaria non sunt, sed etiam implicare vos possunt et hostium manibus tradere. Atqui tempus vitæ nostræ breve est, insidiis ac periculis plenum; non ergo curis illis tenendum, quibus intricari et præpediri a salute possumus. Qui gravi tempestate jactantur, omnia illa ejiciunt in mare, quæ navim onerare possunt et tuendæ vitæ necessaria non sunt. Ita Act. XXVII. qui cum Paulo navigabant, naufragio imminente eiecerunt armamenta navis et triticum, scapham quoque appensam fune abscisso passi sunt excidere, sarcinas tantum aliquas, quibus enatarent, in navi retinuerunt. Quid est vita nostra nisi perpetua tempestat? Quotidianæ nobis luctæ cum carne, mundo, dæmone, quid nisi salutis naufragium minari nobis solent? Quisquis ergo sapit, superfluas mundi curas, animum aggravantes e memoria sua ejicit, scaphamque non necessariæ sollicitudinis resecat et patitur excidere, ne per eas mergatur; sola illa cogitat et fortiter apprehendit, quibus enatare ad salutem potest, Dei verbum sacramentorum usum, opera bona, etc.

Ita Magdalena curarum domesticarum oblita ad pedes Domini sedebat et audiebat verbum illius, quia hoc unum erat necessarium, Luc. XI. Ita et discipuli præsentia, miraculis et sermonibus magistri sui intenti, cum ipso inscenderunt navim, et transfretarunt, panem oblitum, Matth. XVI. « Oblivio hæc panis, inquit D. Anselmus, indicium est, quod modicam carnis curam haberent discipuli in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas intentione Dominici comitatus et dulcedine veri panis, qui cum erat, id est, Christi mente exciderat. Et cum postea hujus oblivionis memores solliciti essent de panibus,

graviter increpati sunt a Domino, quasi non posset eis panes providere, qui immediate ante quatuor hominum millia saturarat septem panibus. » Sciant ergo se quoque a Christo judice increpandos, qui inanes et futes curas nolunt oblivisci, statimque in transversum aguntur, quoties minima in re vel defectum sentiunt vel damnum aliquod metuunt. Sciant denique omnes illi, qui quæ diximus oblivisci nolunt, venturos aliquando annos oblivionis, in quibus ob instantes gehennæ pœnas oblivionem capient omnium præteritorum honorum et deliciarum; quemadmodum sub Pharaone in Ægypto septem anni sterilitatis septem alios fertilitatis annos consecuti devorarunt, et effecerunt ut oblivioni traderentur cuncta retro abundantia, Genes. XIV.

CONCIO VII.

PROPHETIE DE CHRISTI VITA ET MORTE.

I. Incarnatio. — II. Nativitas ex virgine. — III. Locus nativitatis. — IV. Tempus adventus. — V. Præcursor. — VI. Prædicatio. — VII. Miracula. — VIII. Ingressus Jerusalem. — IX. Proditio. — X. Venditio. — XI. Fuga discipulorum. — XII. Cruciatu. — XIII. Causa passionis. — XIV. Crucifixio. — XV. Latronum societas. — XVI. Irrisiones. — XVII. Vestium divisio. — XVIII. Fel et acetum. — XIX. Ossa non frangenda. — XX. Lateris vulnus. — XXI. Resurrectio. — XXII. Tempus resurrectionis. — XXIII. Ascensio in cœlum. — XXIV. Missio Spiritus sancti.

THEMA.

Incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Luc. XXIV.

Dudum lamentatus est Jeremias, quod non esset doctor, qui instrueret Judæos excidio viciniis: *Parvuli petierunt panem, inquit, et non erat qui frangeret eis,* Thren. IV. Sed ecce vobis Judæi doctorem talem, de stirpe vestra, Christum, qui duobus suis discipulis, parvulis in fide fregit hodie panem, non tantum corporalem in castello Emmaus, sed etiam spirituales in itinere, dum Scripturas de se subobscuras traditas explanat et declarat, ut nemo non eas intelligere, nemo non hunc panem mandere queat. Quod ergo in via tractavit cum discipulis, hoc in castello symbolice expressit, dum in fractione panis cognosci ab illis voluit. Ergo et nos proferamus in medium Scripturarum de Christo prophetantium panes eosque exponendo non nihil frangamus, quo etiam a parvulis ac rudibus mandari et intelligi possint.

I. Deum in specie humana cum hominibus versaturum plurimis locis insinuat, sed clarissime Baruch. III. *Hic est noster et non aestimabatur alius adversus eum. Hic advenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est*, hoc est, videbitur, et conversabitur more loquendi prophetico (ob eventus certitudinem): *post hæc*, inquit, scilicet post veterem legem datam in monte Sinai. Porro Deus in terris visus est media unione hypostatica, quæ tam arcta fuit inter humanam et divinam naturam, ut viso hoc homine, Jesu, vere dici posset, visum esse Deum ambulare, loqui, etc. ob idiomatum in unica hypostasi divina communionem. Quod ergo prædixit Baruch, hoc factum scribit Joannes: *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis*.

II. Nasciturum ex virgine, Isaïæ VII. *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quo nomine insinuat illum fore Deum et hominem: quia *Emmanuel*, idem est, quod *nobiscum Deus*. Vocabitur ergo Emmanuel, hoc est, erit Emmanuel, phrasi Hebræa. Porro virgo eo loco Hebr. vocatur alma, id est, adolescentula virgo: addito articulo ha, Haalma, id est, illa virgo; quæ vox nunquam usurpatur nisi de virgine in Scriptura. Neque dicas cum Calvino parituram virginem in sensu diviso, post corruptionem videlicet; quia hoc nullum esset miraculum. At promittitur regi Achaz partus virginis pro signo seu miraculo. Idque confirmat angelus, Matth. I. dicens Josepho: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Subditque hanc prophetiam: *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, etc.*

III. Nasciturum in Bethlelem, Micheæ V. *Et tu Bethlelem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*. Dominator iste alius non est nisi Christus; quia insinuat eum divinitas in postremis verbis: *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*. Unde Chaldaeus expresse vertit: *Ex te coram me prodibit Christus*. Accedunt scribæ Judæorum qui hunc locum de Christo intellexerunt et monstrarunt Herodi, Matth. II. et alii Jo. VII. Quod autem Micheas Bethlelem vocat *parvulum*, scilicet vicum, Matthæus vero *nequaquam minimam*, utrumque bene dicitur; parvula erat in se spectata; maxima, ratione Christi, qui in ea natus est.

IV. Tempus quo Messias venturus esset designavit Jacob, Gen. XLIX. *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui*

mittendus est et ipse erit expectatio gentium. Septuaginta legunt, *non deficiet princeps de Juda*. Vult ergo dicere: Cum tribus Juda acceperit regnum in Davide, servabit hunc principatum suum donec veniat Messias; hic enim solus fuit expectatio gentium, ut in eum crederent et per eum salvarentur. Unde Chaldaeus vertit: *Donec veniat Messias cujus est regnum*. Porro mansit hoc sceptrum penes tribum Juda usque ad Christi adventum, quia mansit penes Judæos, qui post captivitatem Babylonicam, ex qua sola tribus Juda rediit cum paucis aliis aliarum tribuum, omnes censebantur esse tribus Juda, quasi ad eam cooptati, ut docet Suarez, III. p. disp. I. sect. deinde quia corona et jus regni mansit penes tribum Juda, ad quam etiam metropolis regni, Jerosolyma spectabat; ac licet ad extremum Macchabæi ex tribus Levi oriundi principatum gererent, eum tamen a tribu Juda ejusque electione obtinebant, ut docet Pererius, ibid. Defecit igitur hoc sceptrum sub adventum Christi nati, anno 35. regni Herodis, qui primus Judæorum rex alienigena, natione Ascalonita ab Augusto in regnum intrusus fuit. Tempus illud annorum 35. in tanta serie temporum non computatur a Scriptura. Sufficit natum Christum sub eo rege in quo defecerat sceptrum Juda.

V. Habiturum præcursorem, qui animos populi ad illum excipiendum præpararet, prædixit Malachias III. *Ecce ego mitto angelum meum et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis, et Angelus testamenti quem vos vultis*. Quem locum quoad priorem partem de præcursore suo intelligendum docuit ipse Dominus, Matth. XI. et Luc. VII. (qui mittendum eum a Patre asserit cum propheta ab ipso Christo mittendum dicat) ne arrogantiae insimularetur a Judæis; tametsi utrumque verum. Posterior pars ad Christum pertinet, qui in templo oblatum est, prædicare et miracula facere consuevit. Ipse Dominator est omnium et Angelus testamenti seu fœderis, quod Deus per Christi sanguinem cum hominibus pepigit.

VI. Prædicatio Domini prædicta est Isaïæ LXI. *Spiritus Domini super me eo quod unxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis, misit me ut mederer contritis corde et prædicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, etc.* Quam etiam prophetiam in se completam docet Christus, Luc. IV. ubi revolvens librum statim locum hunc invenit et exposuit.

VII. De miraculis vaticinatus est idem Isaïas, c. XXXV. *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc*

aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patibunt. Tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum, etc. Quem locum de se intelligendum insinuat Dominus discipulis Joannis, quærentibus an ipse esset Messias, Matth. XI. eum ad eum alludens inquit: *Ite et renuntiate Joanni quæ audistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*, q. d. ex hoc quod pauperes evangelizo et mira ab Isaïa prædicta facio, colligite quis sim.

VIII. Ingressum Domini in Jerusalem prædixit Zachar. c. IX. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper et accedens super asinam et super pullum filium asinæ*. Hoc autem impletum esse in Christo constat ex c. XXI. Matth. et XI. Joan. qui de illo hoc interpretantur. Utrique animali successive insedis videtur Dominus ob mysterium, quia utrumque populum gentilium et Judæorum sibi subjecturus et jugo suo alligaturus venerat. Asina subjugalis populum Judæorum jugo veteris legis subditum; pullus cui nemo insedit, gentiles representat indomitos et exleges.

IX. Proditionem per discipulum faciendam vidit Ps. XL. *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Quam scripturam de suo proditore exponit Dominus, Joan. XIII. tametsi mitiore phrasi juxta Hebraicum textum: *Ego scio quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*, quod Septuaginta vertunt supplantare, respicientes ad sensum. Homo pacis est Judas, qui per osculum pacis magistrum tradidit, et quia nulla prius inter eos intercessit inimicitia, nulla injuria vel odii causa. Ait se in eo sperasse, quia credens ei loculos, signa confidentiæ ostendit. Ait edisse secum panem quia adhibuit eum ad mensam, et porrexit ei in cœna buccellam intincti panis, atque, ut volunt aliqui, eucharistiam quoque. Levavit Judas calcaneum contra Dominum, cum per insidias subdole eum tradidit inimicis.

X. Triginta argenteis vendendum legimus Zach. XI. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos: et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appetitus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos et projecit illos in domum Domini ad statuarium*. Hoc in Christo impletum esse scribit Matth. cap. XXVII. Porro argenteus, qualem ex illis triginta nummis se Parisiis vidisse asserit Budæus, l. V. de asse: et alium Romæ Cornelius a Lapide in hunc loc.

ponderabat dimidium siclum, seu duos denarios, sive duos Julios romanos, aut regales hispanicos, monetæ nostræ viginta cruciferos. Unde fit ut triginta argentei constituent decem nostrates florenos, quindecim Brabanticos. Hoc ergo *decorum pretium* per ironiam vocat propheta; siquidem juxta legem Exodi XXI. servi occisi vita aestimabatur triginta siclis, adeo duplo pluris quam Christi vita. Hoc ergo jussit Deus prophetam per imaginariam visionem projicere in templum ad pedes sacerdotum, tum ut illi aestimarent vililitatem hujus pretii; tum quia prævidit eo projiciendum esse a Juda. Jubetur autem ipsemet in persona Christi projicere argenteos, quia Christus innocentia sua et prædicatione sceleris Judæ, eum pupugit atque impulit ad argenteos abjiciendos. Jubetur projicere ad statuarium qui scilicet ex argilla statuas format, seu ut Matthæus habet, figulum; quia noluit Deus mitti id in carbonam, sed adhiberi in usum pauperum peregrinorum emique ad hoc agrum figuli. Quod vero Matthæus hanc prophetiam tribuit Jeremiæ, putant aliqui probabiliter librorum incuria nomen Jeremiæ irrepsisse pro nomine Zachariæ; cum quædam vetusta biblia non habeant nomen Jeremiæ. Nisi malimus dicere id ipsum prædictum fuisse a Jeremia, Judæorum tamen malitia erasum. Unde S. Hieronymus, in c. XXVII. Matth. ait sibi hæc verba in apocrypho Jeremiæ a quodam Nazareæ sectæ ostensa. Fieri etiam potest ut in alieno Jeremiæ libro, qui interdidit, scripta fuerint.

XI. Fuga discipulorum prædicta a Zacharia, cap. XIII. *Percute pastorem et dispergentur oves*. Ita enim hunc locum interpretatur ipse Dominus passione imminente, Matth. XXVI. impletusque est in discipulis, cum capto magistro suo fugerunt omnes et dispersi sunt.

XII. Multiplices ipsius dolores, per flagella, coronationem, crucem, prædixit Isaïas, cap. LIII. tam clare et plane quasi eos coram spectasset: *Non est ei species neque decor. Et vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, etc.* Nec habent quod contra hoc objiciant Judæi nisi omnia sua, quibus ea, quæ de Christo dicuntur, sibi applicant velut pressis et afflictis a Turcis et Christianis. Sane Chaldaeus ipse hæc de Christo, non de populo accipit. Sic enim vertit sub finem capituli: *Ecce prosperabit servus meus Messias, exaltabitur et elevabitur et confortabitur nimis*.

XIII. Causa passionis exprimitur ibidem: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum et livore ejus sanati sumus. Posuit*

Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, etc. Quæ omnia in Domino impleta esse constat ex evangelistis.

XIV. Crucifixio prædicatur Psalmo XXI. qui totus de passione luculentissime scriptus est: *Foderunt manus meas et pedes meos.* Atque ut non quævis fossio seu vulneratio intelligi queat, additur: *Dinumeraverunt omnia ossa mea;* quia scilicet ex corporis in cruce extensione factum ut omnia ejus ossa numerari possent. Scio in Hebraico textu legi: *Quasi leo manus meas, etc.* Sed perperam; Septuaginta enim non *caari*, id est, *quasi leo*: sed *caatu*, id est, *foderunt*, legunt, *caari*, vel librarium vitio vel Judæorum malitia irrepsit; nec efficit sensum congruum.

XV. Quod inter latrones crucifigendus et pro suis persecutoribus oraturus esset Patrem, prædixit Isa. c. prædicto: *Et cum sceleratis reputatus est. Et ipsa peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* Primum in ipso impletum testatur Marc. c. XV. dicens: *Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* Alterum impletum cum in cruce oravit: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Pro voce rogavit, habetur in Hebr. *occurrit*, iræ Dei videlicet, quasi ea tum armata fuerit ad perdendos Judæos quod ostendunt elementa commota et sol obscuratus: intercesserit tamen Christus et suis precibus Patris iram exarmavit.

XVI. Judæorum irrisiones et blasphemias in Christum crucifixum eodem Ps. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Omnes videntes, inquit, quia omnium hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, Iacobi, Hebræi, gentiles, quod impletum est, quando ut scribit S. Lucas, c. XXIII. *Stabat populus spectans et deridebant eum principes cum eis.* Et infra: *Illudebant autem ei et milites. Locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Hoc impletum fuisse docet S. Matth. c. XXVII. *Blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei! Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Easdem voces Judæorum fuisse testatur S. Matth. in eodem loco: *Confidit, aiebant, in Deo, liberet nunc eum si vult.* Nec multum refert quod propheta dixit: *Quoniam vult eum, et evangelista refert eos dixisse: Si vult.* Nam cum propheta dicit: *Salvum faciat eum quoniam vult eum,* subintelligitur, ut ipse dicit: quod perinde est, ac si dixisset:

Liberet eum, si vult eum, id est, si amat eum, ut ipse dicit, liberet eum; vel, quandoquidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus prophetæ illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba prænovit et prædixit; quæ in Judæis passione Christi fuerant, ut scribit eo loco Bellarminus.

XVII. Vestimentorum divisio et sortitio, eodem illo psalmo: *Diviserunt vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Alteram enim vestem diviserunt in quatuor partes, pro altera; quia scindi sine damno non poterat, miserunt sortem, ut scribit impletum esse Joannes, cap. XXI.

XVIII. Quod felle et aceto in cruce potandus, Ps. LXVIII. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Fel propinatum esse Domino testatur Matthæus, cap. XXVII. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum,* vinum pro potu, fel quasi pro esca. Acetum scribit Joan. c. XIX. sitiienti propinatum, ut impleretur Scriptura hujus utique psalmi, quem omnes expositores veteres, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, necnon recentiores de Christi passione ad litteram intelligunt.

XIX. Ossa ejus non confringenda, Exodi XII. et Num. IX. ubi de esu paschalis agni ad litteram quidem præcipitur: *Nec os illius confringetis.* Mysticum tamen et allegoricum sensum de ss. Christi corpore non frangendo præcipue intendit ibi Spiritus sanctus, quem impletum scribit S. Joannes, dum solius Christi crura non sunt in cruce fracta, Jo. XIX.

XX. Lancea latus est perforandum, Zacha. XII. *Aspicient ad me quem confixerunt.* Quem locum, Joannes, mutatis verbis, sensu prophetæ retento, impletum in vulnere lateris Christi scribit: *Videbunt in quem transfixerunt.* Aspicient oculis partim fidei, partim compassionis et doloris, ut centurio et qui cum eo erant, qui viso terræ motu et his qui fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere Filius Dei erat iste,* Matth. XXVII. necnon ii qui *percutientes pectora sua revertebantur.* Scio Septuaginta non legisse *confixerunt*, sed *insultarunt*; sed vel ipsi decepti sunt similitudine litteræ Resch et Daled, et pro *dacharu*, id est, *confixerunt*, per metathesin legerunt *rachadu*, id est, *insultarunt*; vel Hebræorum textum corruerunt. Corruptam enim esse multis in locis editionem Septuaginta interpretum auctor est Justinus martyr, dial. cum Tryph. et Hier. præfat. in Paral. et XXX. Isa. et Aug. J. XV. de civ. c. XIII.

XXI. Resurrectio prædicta Ps. XV. *Non dereliques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias*

vite, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Quem locum de Domini resurrectione intelligendum docet S. Petrus in prima illa sua concione post acceptum Spiritum sanctum recens illustratus, Act. II. Significat autem primo, Christi animam descensuram ad inferos, in limbum scilicet patrum; deinde, ejus corpus non putrefactum iri in sepulcro, sed præservandum Dei virtute a putredine, et ad vitam immortalem educendum.

XXII. Resurrecturum die tertia prædixit Oseas, c. VI. *Vivificabit nos post duos dies et in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Quem locum de resurrectione Christi intelligunt pene omnes patres, putantque aliqui dici hoc in persona eorum qui cum Christo resurrexerunt. Confirmatur ex apostolo, I. Cor. XV. ubi ait: Christum resurrexisse tertiæ die secundum Scripturas. Quomodo vero alio loco prædicatur in Scripturis veteris Testamenti tertia die resurrecturus? Vult ergo dicere propheta tertia die mortis Domini nos in et cum Christo resurrecturos, partim in re, ut qui cum Christo resurrexerunt, partim in spe, ut cæteri.

XXIII. Ascensio in cælum habetur, Ps. LXVII. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Hunc locum de ascensione Christi explicat apostolus ad Eph. IV. paululum immutatis verbis: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Sensus vero idem est, significans Christum ascendentem in cælum; captivos diaboli fecisse captivos suos felicissima commutatione, quales erant patres e limbo educti et cum Christo ad cælos eveci, item captivos quasi in triumpho duxisse mortem, infernum, diabolium, peccatum, idola, tyrannos. Deinde, dedisse dona hominibus seu accepisse dona in hominibus, quia accepit dona a Patre quæ daret hominibus et de facto dedit, dona inquam Spiritus sancti in missione ejus. Et sic idem est dare et accipere dona.

XXIV. Missio Spiritus sancti prædicatur Joeliis II. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filie vestre, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.* Quod impletum fuisse in die pentecostes docet S. Petrus, Act. II. quando apostoli loquebantur variis linguis, docebant, miracula faciebant, etc. quæ omnia significat vox propheture late sumpta.

Vidimus, auditores, et nonnihil explanavimus, prout tempus tulit, Scripturas quæ de Christi vita et morte sine controversia vaticinantur. Superest ut hinc agnoscamus Christum, vel si eum jam agnovimus firmius saltem in eum credamus, impensius eum colamus et amemus, utpote

tot Scripturis a tot sæculis annuntiatum, ut per eum salvi omnes fiamus, etc.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Virtutes in Christo: 1. Patientia. 2. Bonitas et clementia. 3. Charitas. 4. Suavitas. 5. Prudentia. — II. Cælum meritis obtinendum. — III. Præsulum et prædicatorum dotes. — IV. Indicium surrexisse in nobis Christum. — V. Peregrinationes ad loca ss. defenduntur.

THEMA.

Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem.
Luc. XXIV.

Quarto Regum septimo legimus quatuor leprosos ingressos castra Syrorum, qui Samariam obsederant, divinitus autem territi, repente fugere compulsi erant, reperisse castra quidem a Syris deserta, sed ingentes interim divitias in castris ab iisdem derelictas, aurum et argentum, necnon cibos omnis generis et annonæ abundantiam. Hoc igitur comperto dicebant ad se invicem: *Hæc dies boni nuntii est, si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur. Venite eamus et nuntiemus in aula regis.* Quod leprosi hic fecerunt, faciunt in hodierno evangelio duo illi discipuli, et ipsi nonnihil maculis aspersi stultitiæ et tarditatis. Cum enim in castello Emmaus agnoverunt Christum a mortuis excitatum adeoque mortis et dæmonum dominum, continere se non potuerunt, quin illico surgentes eadem die reverterentur magnis passibus in Jerusalem, ut tam optatum nuntium afferrent aulæ et collegio Christi, dicentes, ut opinor: *Hæc dies boni nuntii est, hæc dies quam fecit Dominus: exultemus et lætemur in eo.* Eamus et nuntiemus fratribus nostris resurrectionem Domini nostri. Nimirum nobilis et ingenuus est amor divinus; qui enim Deum amat, cupit et desiderat eum ab omnibus amari: gaudet etiam ac gestit sua bona communicare aliis dicens cum Isaia: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite et comedite,* Isaia LV. Contra amor mundi ignobilis et servilis est, participem non admittit, solus gaudere præda vult. Istud canum et gallinarum, illud leonum et aquilarum est: istud mundi sectatorum, illud Dei servorum. Quando igitur, auditores, gaudium paschale heri vobis annuntiavi et communicavi; hodie communicabo quidquid boni deprehendi in hodierno evange-